



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Disputatio IX. De moralitate humanorum actuum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

pertinet ad executionem, & à quo incipit executio, debet esse posterior electione pertinente ad ordinem intentionis: sed ab actu imperii incipit executio, siquidem per ipsum voluntas determinatur, ut applicet alias potentias ad operandum: ergo subsequitur electionem. Secundò: Sæpe contingit, aliquem bene judicare, opinari, eligere, non tamen bene operari, juxta illud: *Videò meliora, probòq;: Deteriora sequor.*

Dices: Judicium præcedens electionem non tantum dicitur media esse eligenda, sed etiam exequenda: ergo est sufficiens ut voluntatem determinet ad executionem mediorum.

Resp. Judicium præcedens electionem dicitur media etiam ut exequenda remotè, concedo; proximè, nego. Nam actus proponens media ut hic & nunc exequenda, debet illa proponere ut electa, non ut eligenda: atqui hoc non facit actus judicii præcedens electionem.

5. Probatur secundò. Voluntas tanquam cæca potentia non operatur nisi ut regulata per intellectum: ergo etiam usus voluntatis, quo subditas potentias applicat ad operandum, debet habere proximam regulam in intellectu: sed talis regula non est solum judicium, quippe quod sæpius ab executione separatur; ergo est ille actus, quo ratio præceptivè dicitur, opus esse aggrediendum per verba imperativi modi: *Fac hoc.*

§ II.

Definitio imperii.

6. **CONCLUSIO** secunda. *Actus imperii rectè definitur: Præceptiva intimatio operis faciendi vel omittendi cum quadam motione.*

Bonitas definitionis ex eo liquet, quòd per omnes ipsius partes sufficienter exponitur natura imperii, & ab omni alio actu distinguitur.

7. Dicitur ergo primò *præceptiva intimatio*: quo

significatur, actum imperii esse actum intellectus non per modum simplicis sententiae, vel consilii, sed per modum præcepti ordinantis voluntatem ad operis executionem: ideoque exponi solet per verba imperativi modi: *Fac hoc.*

Neque refert primò. Quòd imperium non tantum dicitur intimationem, sed etiam motionem, adeoque saltem ratione motionis ad voluntatem pertinere videatur. Nam sufficit quòd pertineat ad voluntatem præsuppositivè & connotativè, à quâ nimirum derivatur efficacia movendi, non verò quòd formaliter ad voluntatem pertineat: imperare quippe, præcipere, locuti, intimare, ordinare, sunt formaliter officia & actus intellectus practici, & pertinent ad prædicationem, quæ est virtus intellectus practici.

Neque refert secundò. Quòd ad eandem potentiam pertinere videtur imperium, ad quam pertinet dominium: sed dominium pertinet ad voluntatem, in eaque subjectivè recipitur: ergo etiam imperium subjectivè est in voluntate. Nam dist. maj. ad quam pertinet dominium quoad vim denuntiandi, dirigendi, intimandi, & ordinandi, concedo; quoad vim movendi, nego. Et similiter dist. min. neg. consequentiam.

Tertiò. Quòd voluntas sit primum movens ad exercitium: ergo non indiget ad exercitium moveri per actum intellectus. Nam distinguo consequens. Non indiget moveri motione imperii participatâ à voluntate, concedo; participatâ, nego consequentiam.

Dicitur ulterius in definitione *cum quadam motione*, quibus verbis significatur efficacia illius actus ad excitandam voluntatem, quam tantum efficacia participat à consensu vel electione voluntatis essentialiter præsuppositâ, quæ efficacia pariter exprimitur per voces *operis faciendi vel omittendi.*

DISPUTATIO IX.

DE

Moralitate humanorum actuum.

Tandem ad ipsam moralitatem, quæ in actibus humanis est potissimè consideratio, accedimus. Supervenit illa nostris actibus in esse naturæ & ordine physico spectatis, eosque modò bonos, modò malos, meritorios, demeritorios reddit. Igitur ipsius primò quidditatem, tum principia, denique species discutiemus.

ARTICULUS I.

In quo formaliter consistat moralitas humanorum actuum?

SUMMARIÆ.

1. Variæ acceptiones moralitatis.
2. Varia prædicata in actu morali.
3. Libertas non est constitutum moralitatis, sed illi præsupponitur.
4. Exponitur locus D. Thomæ.
5. Positâ libertate moralitas tantum ponitur casualiter, non formaliter.
6. Libertas & moralitas habent idem specificatum materialiter, non formaliter.
7. Moralitas non est denominatio extrinseca.
8. Neque relatio rationis.
9. Neque relatio predicamentalis.
10. Nec entitas modalis.
11. Quædam obiectiuncule.
12. Distinguitur.
13. Dicitur.

13. Moralitas non consistit in habitu ad voluntatem:
 14. Sed in actuali tendentia voluntatis ad objectum.
 15. Quomodo malitia sit species moralitatis?
 16. Omissio voluntaria est saltem interpretativa tendentia voluntatis in objectum.
 17. Actus est artificiosus per denominationem intrinsicam.
 18. Disparitas inter esse vitale, vel naturale, & inter esse morale.
 19. Moralitas est identificata cum actu.
 20. Quid sit objectiva moralitas.
 21. Divisio moralitatis in bonitatem & malitiam non est adequata, cum etiam indifferentia sit species moralitatis.
 22. Duplex regula actuum humanorum, remota & proxima.
 23. Natura rationalis tantum est regula morum radicalis.

S. I.

An moralitas in libertate consistat?

Notandum primò. In latissimâ acceptione morale dici, quod aliquo modo pendet à ratione & libero arbitrio. Sic primò valor monetæ dicitur moralis, quia ratione & liberâ voluntate republ. administrantium fuit impositus. Causa dicitur moralis, quia mediante solùm propositione rationis & intellectus influit in voluntatem. Servitutes, dominia, jura dicuntur entitates morales, quia liberis hominum moribus, placitis, consuetudinibus sunt introductæ. Actus humani sunt morales, quia dependent à regulis rectæ rationis liberè eliciuntur. Ipsi denique mores, à quibus nomen moralitatis derivatur, hominum actus, qui liberè & ex ratione fiunt, appellantur; ideoque hoc nomen in brutis non requiritur. In præsentia agimus de moralitate.

Notandum secundò. Plura reperiri prædicata in actu morali, de quibus disceptari potest, quodnam ex iis actui moralitatem formaliter tribuat? Est primò libertas, eaque actualis; neque enim sola conjunctio cum potentiâ habitualiter & privativè liberâ sufficit ad tribuendam moralitatem, ut patet in motibus primò primis, qui non sunt morales, hoc ipso, quòd illos voluntas liberè non producat. Secundò passiva regulabilitas, & extrinseca denominatio à lege & ratione regulante. Est tertio ordo & habitudo ad potentiam operantem & subjectam regulis morum; est etiam habitudo actus ad ipsam rationem, & legem. Est demum habitudo ad objectum subsistens regulis morum; quam ipsam habitudinem alii volunt esse relationem rationis; alii prædicamentalem, alii transcendentalem, & modaliter distinctam ab actu.

Queritur ergo: per quodnam ex iis prædicatis actus humanus formaliter constituatur moralis, seu in esse moris? & primò quidem Scotus in 2. dist. 40. q. un. n. 3. Suarez tract. 3. de act. hum. Ferrar. in 3. contra gent. c. 10. aliique sentiunt, moralitatem humanorum actuum formaliter constitui per libertatem: contra quos sit

CONCLUSIO prima: Moralitas actuum non consistit formaliter in ipsa libertate: quamvis ean-

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II,

dem essentialiter præsupponat. Ita Jo. à S. Th. Gonet, Amicus disp. 12. sect. 1. & comm. Thomist.; Ratio est primò: quia potest concipi actus liber, quin concipiatur moralis; ergo libertas non est prædicatum formaliter constitutum moralitatis. Anteced. prob. Positâ indifferentiâ agendi, & ablatâ sive per possibile sive per impossibile omni lege & regulâ operandi, actus esset liber, & tamen non esset moralis, càm sublatâ regulâ morum nulla sit moralitas: ergo essentia actus liberi consistit sine moralitate.

Secundò. Perfectio præsupposita ad ordinem & genus moris, non constituit actum in esse moris: sed libertas est perfectio præsupposita ad ordinem & genus moris; quia est perfectio naturalis pertinens ad ordinem naturæ, cumque reddens proximè capacem, ut per morum regulas dirigatur. Imò tertio. Idem physicè actus recipit diversas species & differentias moralitatis, quin recipiat diversas species aut differentias libertatis, uti si in eodem actu reperiat malitia furti & sacrilegii. Ergo libertas non constituit moralitatem.

Dices primò Juxta doctrinam D. Thomæ eadem sunt proprietates actus liberi, & actus moralis: ergo eadem est utriusque natura, idem constitutum. Antecedens probatur: Proprietates actus moralis sunt esse dignum laude, vel vituperio, præmio, vel supplicio: sed eadem sunt proprietates actus humani & liberi per S. D. hic in 1. 2. q. 21. a. 2. dicentem; *Nil aliud esse laudari, vel vituperari, quam imputari alicui malitiam, vel bonitatem sui actus. Tunc enim actum imputari agenti, quando est in potestate ipsius (en libertatem;) ita quòd habeat dominium sui actus.*

Respondeo: Eadem sunt proprietates actus moralis & liberi, & diverso modo, concedo; eodem nego. Igitur actui quâ libero competit esse dignum laude, vel vituperio, remotè, radicaliter, & causaliter, concedo; (nisi enim actus foret liber, etiam non esset proximè regulabilis) proximè, & formaliter, nego: prout ex dictis constat, & amplius constabit ex dicendis. Unde & verba S. Doct. plus non evincunt, quàm quòd actus liber & moralis pro statu hujus viæ sint idem entitativè, materialiter, & concomitanter, non autem formaliter.

Dices secundò. Positâ libertate ponitur, sublatâ tollitur, imminutâ minuitur moralitas actuum (neque enim aliâ de causâ peccatum veniale ex indeliberatione commissum, non est actus perfectè moralis, nisi quia non est perfectè liber) imò solâ positâ libertate, secluso omnî alio, actus est regulabilis per regulas morum: ergo moralitas formaliter in libertate consistit.

Respondeo distinguendo antecedens. Positâ libertate ponitur causaliter moralitas actuum, concedo; formaliter, nego. Unde etiam peccatum veniale, defectu libertatis plenæ, tantum causaliter habet minus moralitatis, non autem formaliter: ratio formalis autem est imperfecta tendentia in objectum difforme rectæ rationi. Est etiam quòd libertas faciat actum proximè regulabilem per regulas morum, tamen illa regulabilitas passiva non est ipsa moralitas; nam veluti alicujus operis esse artificiale non consistit in passiva

passiva regulabilitate, sed in actuali subiectione ad regulas artis; ita esse morale debet consistere in actuali subiectione ad regulas morum.

6. Instabis; Idem obiectum specificativum habet actus moralis & liber, nempe finem: ergo eandem quoque habet rationem formalem.

Respondeo dist. antec. Habent idem, specificativum materialiter, concedo; formaliter, nego. Finis igitur specificat actum moralem sub ratione conformis vel difformis cum regulis morum; actum verò liberum quò talem specificat sub ratione indifferenter propositi, quò sunt rationes formaliter diversæ.

§ II.

Removentur aliæ quedam opiniones.

7. **CONCLUSIO** secunda. *Moralitas formaliter non consistit in aliqua denominatione extrinseca.* Ita Thomistæ communiter contra Vasq. & Amicum loc. cit.

Ratio est primò. Quia libertas, quam ceu essentialem sui radicem moralitas præsuppositivè includit, est perfectio intrinseca actui, prout supra ostendimus disp. 6. a. 1. ergo & moralitas.

Secundò. Quia forma, à quâ plura aliqua analogicè & extrinsece denominantur per attributionem ad analogatum principale, intrinsece inest analogato principali; sed quæcunque spectant ad genus moris, ut voluntas, lex, dictamen rationis, dicuntur moralia per ordinem & attributionem ad actum voluntatis; ratio, quia dirigit; lex, quia præcipit; voluntas, quia causat actum moralem; ergo moralitas, à qua extrinsece denominantur, intrinsece est in actu voluntatis.

Tertiò. Bonitas moralis in habitibus virtutum est ipsi intrinseca: hinc enim etiam in esse moris specie inter se distinguuntur; ergo similiter bonitas moralis, & consequenter moralitas est intrinseca actibus.

Quartò. Veritas est intrinseca actui intellectus, bonitas artificialis actui artificioso, bonitas naturalis rebus physicis; ergo etiam bonitas moralis actui humano.

8. **CONCLUSIO** tertia. *Moralitas formaliter non consistit [1] in relatione rationis, [2] aut prædicamentali, [3] aut aliqua habitu dine modaliter ab actu distincta.*

Ratio primæ partis est: quia malitia & bonitas inveniuntur in actibus voluntatis, independenter ab ulla fictione intellectus, posita solum liberatendentia in obiectum conforme vel difforme rectæ rationi.

9. Ratio secundæ partis est primò. Quia relatio prædicamentalis requirit existentiam sui termini, cum tamen obiectum actus moralis sæpissimè solum in intentione existat. Secundò: relatio prædicamentalis non exprimit perfectionem, nec imperfectionem, ut dictum in Tract. de Trinit. econtrà moralitas in suis speciebus exprimit perfectionem, si actus est bonus; imperfectionem, si est malus: ergo.

10. Ratio tertiæ partis est primò, quòd modalitates sint essentialiter superflue, ut suppono. Secundò, quòd ante modum superadditum jam intelligitur actus liberè elicited juxta vel contra regulas morum, adeòque moralis.

Oppones primò. Ex eo actus est moralis, quòd regulatur per rationem, præcipitur per legem, &c. sed hæc nihil ponunt intrinsecum in actu: ergo non denominatur intrinsece moralis.

Secundò. Moralitas obiectiva vel est denominatio extrinseca, vel ad summum relatio rationis: ergo etiam moralitas actuum.

Tertiò. Esse morale in dignitatibus, officiis, valore monetæ, & pretio rerum venalium nihil intrinsecum ponit in rebus ita denominatis: ergo nec esse morale in actu voluntatis est quid intrinsecum.

Quartò. Moralitas actus consistit in habitu dine ad obiectum, tanquam ad suam mensuram: sed habitudo mensurabilis ad mensuram est relatio prædicamentalis: ergo.

Respondeo ad primum negando, vel dist. antec. Est propterea moralis casualiter, & tanquam propter conditiones necessariò requiritas, concedo; formaliter, & tanquam propter rationem proximam, nego. Ad 2. & 3. Permissit. antec. nego consequ. quia esse morale in obiecto accipitur per attributionem ad actum quem terminat, & coexistentiam legis sibi extrinsece. Similiter valor monetæ, & pretium rerum venalium præcisè, directè, & immediate sumuntur à voluntate humana ita taxante & acceptante; at verò esse morale in actibus voluntatis, estis sponnat legem, immediate tamen non a lege, sed ab ordine ad obiectum legi subiectum accipitur, qui ordo est ipsi intrinsecus. Ad quartum dist. major. consistit in habitu dine fundamentali seu radicali ad obiectum ceu mensuram, concedo; in formali, nego. Cum enim actus intelligatur bonus, vel malus moraliter, priusquam formaliter respectum ad obiectum habeat. vel habere possit, non in ordine formali, sed radicali ad obiectum moralitas poterit consistere.

§ III.

Resolutio questionis.

CONCLUSIO quarta. *Moralitas actuum humanorum non consistit in habitu dine actus ad voluntatem.*

Ratio est primò: quia moralitas per prius est in actu, quàm voluntate, voluntas enim propter attributionem & habitudinem ad actus est & elicetur moralis. Actus quoque per prius subieciuntur legi, quàm voluntas, cum leges & præcepta dentur propter actus humanos. Secundò. Quia actus & motus non specificatur à suo principio; sed actus humani sunt quidam veluti motus & tendentia ad sua obiecta, etiam in esse moris: ergo ex obiecto accipiunt speciem bonitatis in esse moris, non à suo principio. Sed inde non accipiunt speciem in esse moris, inde non ipsum esse moris accipiunt; siquidem genus includitur in speciebus: ergo cum non accipiunt speciem boni vel mali à principio sive voluntate, etiam inde non accipiunt ipsam moralitatem.

CONCLUSIO quinta. *Moralitas formaliter est ipsa actualis tendentia voluntatis in obiectum, subiectum regulis morum, indistincta ab actu.* Ita communiter Thomistæ, quorum tamen plerique in hoc discrepant, quòd velint istam habitudinem esse ab actu modaliter distinctam.

Probat

Probatur primò inducivâ refutatione aliarum opinionum: ut enim hæcenus est ostensum, moralitas actuum humanorum non consistit in ipsa libertate; non in denominatione extrinseca à regulis rationis, vel voluntate moraliter operante; non in relatione prædicamentali, vel rationis; non in habitudine ad ipsam voluntatem: superest ergo ut constitutum moralitatis sit actualis ordo & tendentia voluntatis ad objectum.

Probatur secundò autoritate, & ratione S. Doct. unde actus humanus accipit speciem tam infimam quàm subalternam moralitatis, inde etiam accipit rationem genericam moralitatis; quia genus in specie imbibitur: sed actus humanus recipit speciem tam subalternam boni, vel mali moralis, quàm infimam hujus virtutis aut vitii ab objecto; *prima enim bonitas actus* [inquit S. D. hic q. 18. a. 2.] *moralis attenditur ex objecto convenienti*: ergo actus humanus etiam accipit genericam rationem moralitatis ab objecto. Sed si extrinsecè accipit genus moralitatis ab objecto, eo ipso intrinsecè accipit ex ordine sive habitudine sua intrinseca in objectum secumque identificata [sive appelles transcendentalem, sive fundamentalem respectum, perinde est] sicuti habitus qui ab objectis specificantur extrinsecè, specificantur intrinsecè per respectum sibi intrinsecum & identificatum, h. e. per naturalem inclinationem in objectum.

Confirmatur primò. Habitus morales sumunt genus moralitatis ab objecto, ergo & actus. Consequentia probatur; quia actus & habitus reducuntur ad idem genus, & habitus non nisi ratione suorum actuum ab objectis specificantur.

Confirmatur secundò. Motus & actus physice spectatus tam specificam quàm genericam rationem accipit ab objecto in esse physico: ergo etiam actus morales rationem tam genericam quàm specificam accipiunt ab objecto in esse moris. Conseq. prob. Non minùs actus moralis est quædam via & tendentia ad objectum, quàm actus physice consideratus; ergo sicut ille speciem accipit ab objecto, sic & iste.

§. IV.

Solvuntur Objectiones.

Objectiones primò. Si moralitas formaliter consisteret in tendentia actus humani ad objectum subsistens regulis morum, tunc etiam species moralitatis in illa consisteret: nam quod dicitur de genere, dicitur etiam de specie, genus enim in specie includitur, imò cum illa identificatur: atqui aliqua species moralitatis, nimirum formalis malitia actus humani non consistit in positiva tendentia ad objectum; siquidem dicimus illam formaliter consistere non in positivo, sed in privativa carentia debitæ rectitudinis; ergo.

Confirmatur. Aliqua omisso est moraliter mala: sed hæc moralitas non potest consistere in tendentia ad objectum, præsertim si supponatur pura omisso: ergo non omnis moralitas consistit in habitudine ad objectum subsistens regulis morum.

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

Respond. ad hoc argumentum (quod est principale & palmarium contra sententiam de privativo peccati) distinguendo min. formalis malitia in abstracto, & quantum ad rationem malitiæ, non consistit in positivo, concedo; formalis malitia in concreto (hoc est malum morale, quod propriè est species moralitatis, non ipsa malitia abstractivè sumpta) & quatenus est moralis, nego. Sic enim saltem de connotato & substrato importat positivam tendentiam voluntatis; aliàs quippe potius esset pura negatio, quàm moralis privatio rectitudinis. Similiter distinguo consequens: ergo aliqua species moralitatis formaliter non consistit in positiva habitudine & tendentia, quoad omnia inclusa in specie, concedo; quoad aliqua, nego consequentiam. Nam mutuo & reciproce ad invicem ista se habent, ut actus moralis non esset formaliter malus, nisi esset privatus debitæ rectitudine; & ipsa privatio non esset vel in genere, vel in certa specie moralitatis, nisi subiectaretur in actu liberè tendente in objectum dissentaneum regulis rationis.

Ad confirmat. Resp. dist. min. hæc moralitas non potest consistere in formali tendentia in objectum, concedo; in interpretativa & virtuali tendentia, nego min. ergo non omnis moralitas consistit in prædicta habitudine & tendentia tantum formali & positiva, concedo; vel formali vel interpretativa, nego consequentiam. Unde ly *habendo* est accipiendum in sensu accommodo pro subiecta materia, ita ut, si moralitas sit in actu humano, sit positiva habitudo ad aliquod objectum; si autem sit in omissione, sit quasi habitudo negativa, & tendentia tantum interpretativa in objectum. Sicut enim tunc omisso solum est interpretativè voluntaria, sic etiam non aliam requirit quàm interpretativam tendentiam voluntatis in objectum, vel finem.

Objectiones secundò. Ita se habet actus humanus ad regulas moris, sicut ad regulas artis; sed tantum extrinsecè denominatur artificiosus per regulas artis; ergo similiter denominatur extrinsecè per regulas moris.

Respondeo permixtâ maj. negando min. nam, ut dictum, ex hoc actus artificis est artificiosus, quod est in se commensuratus & conformis cum regulis artis. Denominatio quippe extrinseca regulæ artis tantum tribuit actui quod sit subiectus regulæ, non verò quod sit vel conformis vel difformis eidem.

Objectiones tertio: Actus est & dicitur natura-
lis, vel vitalis non per habitudinem ad objectum; sed per habitudinem ad principium naturale, vel vitale, à quo procedit: ergo etiam actus est ideo moralis, quia procedit à voluntate tanquam principio morali. Neque obstat diversitas specifica actuum in genere moris desumpta à diversitate objectorum: nam etiam actus & motus naturales vel vitales ex objectis inter se specificè distinguuntur, qui tamen genericè sunt naturales aut vitales propter habitudinem ad naturam, vel vitam, à qua procedunt.

Respond. disparitatem esse, quod naturalitas & vitalitas per se primò reperuntur in lineâ substantiæ, quæ in se omnimodè absoluta non specificatur per habitudinem ad quid extrinsecum: contra

M 2

contra

contra moralitas pertinet ad lineam operationis, quæ ex sua natura est apta specificari à termino & objecto extrinseco propter intrinsecum respectum ad ipsum.

§. V.

Corollaria.

19. Colliges ex dictis primò. Prædictam habitudinem actus ad objectum, in qua moralitatem formaliter collocamus, non esse realiter (modaliter non distingui aliunde suppono) distinctam, & superadditam actui. Positâ quippe liberâ tendentiâ actus ad objectum substans regulis morum, & remoto omni altero, hoc ipso intelligitur actus esse moralis.
20. Colliges secundò. Objectivam moralitatem nihil aliud esse, quàm ipsum objectum, quatenus connotat rationem & regulam mensurantem, juxta quam per actum voluntatis in debitum finem ultimum rationali naturæ consentaneum referri possit.
21. Colliges tertio. Divisionem moralitatis in bonum & malitiam moralem esse divisionem generis in species. Siquidem moralitas ut sic est prædicatum superius abstrahibile à bono & malo consentaneo & dissentaneo regulis rectæ rationis. Sed estne etiam adæquata divisio? Resp. cum Jo. à S. Th. negativè, quia licet in individuo & actu exercito non detur aliquis actus, qui non sit vel bonus vel malus moraliter, prout declarabitur, datur tamen actus secundum speciem suam & ex meritis proprii objecti indifferens, ideoque indifferencia rectè dicitur constituere tertiam speciem moralitatis. Ut enim actus humanus sit moralis plus non requiritur, quàm ut liberè tendat in objectum ut substans regulis morum: quia alia est regula præceptiva, alia pro-

hibitiva, alia permissiva. Licet igitur actus differens, ut est v. g. ambulare, non tendat in objectum præceptum, vel prohibitum, tendit tamen in objectum lege & ratione permissum. Unde si dicas: Actus vel est conformis, vel diffinis regulis rectæ rationis: ergo vel bonus, vel malus. Resp. dist. antec. est conformis regulis semper præcipientibus vel prohibentibus, negò; aliquando permittentibus concedo; & nego consequentiam.

Colliges quartò. Duplicem potissimum esse regulam morum; Remotam, & proximam. Remota est lex DEI æterna: à qua omnes alia leges derivantur: proxima est dictamen propriæ conscientia, quo mediante lex DEI nobis innoscit. Ratio primi est ex S. D., quòd prima regula est regula indefectibilis, in quam omnes alia reducuntur, sed hæc est lex DEI æterna & in mente ipsius existens, quam S. D. describit q. 91. a. 1. quòd sit ratio gubernationis rerum in DEO, sicut in principe universitatis existens.

Ratio secundi est, quòd illa est proxima regula nostrorum actuum, quæ in virtute primæ regulæ nostros actus morales proximè dirigit: sed ejusmodi regula est dictamen nostræ conscientia, seu radius ab æternâ lege derivatus juxta illud Ps. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Unde

Colliges quintò. Naturam rationalem, quæ tenens antecedit legem conscientia, non esse formalem regulam moralitatis: neque enim per modum regulæ moralis præcipit, vetat, &c. sed tantum inclinât in bonum rationis, idque non tantum in bonum morale, sed etiam in bonum naturale. Unde non tam regula morum, quàm ratio exigitiva talis regulæ dirigentis in finem ultimum, natura quæ rationali proprium, sine regula radicalis dici debet, de quo alibi plura.

ARTICULUS II.

Unde actus humani speciem bonitatis aut malitiae desumant?

SUMMARI A.

1. Quid intelligatur nomine objecti?
2. Objectum non specificat, nisi prout subest judicio practico rationis.
3. Actus humani essentialem speciem moralitatis capiunt ab objecto.
4. Varia objectiones.
5. Actus indifferens ex objecto habet speciem essentialem indifferentia.
6. Quòdam sit objectum fortitudinis?
7. Actus externus accipit ab interno speciem bonitatis ut est in executione.
8. Quòdam sit objectum hujus actus: Volo honestè vivere.
9. Numerus circumstantiarum.
10. Circumstantia semper tribuunt aliquam bonitatem vel malitiam moralem.
11. Circumstantia afferentes novam conformitatem vel difformitatem cum objecto tribuunt novam speciem moralitatis.
12. Et tunc transiunt in conditionem objecti.

13. Finis semper tribuit aliquam speciem moralitatis.

14. Aliquando essentialem, aliquando accidentalem.

15. In eodem actu humano dantur plures species bonitatis, aut malitiae.

§. I.

Species essentialis ab objecto.

Tria sunt principia moralitatis, videlicet objectum, circumstantia, & finis. Nunc de objecto.

Notandum primò. Objecti nomine hoc loco accipi illud bonum, ad quod ex proprio modo tendendi actus humanus per se primò ordinatur, ut est v. g. in actu elemosynæ subvenire indigenti, ad hunc quippe finem elemosynæ largitio per se ordinatur, quamvis extrinsecè & ex fine operantis ad alios bonos, vel malos fines ordinari possit. Unde objectum sæpe distinguitur à fine operantis.

operantis, semper tamen coincidit cum fine operis, ut patet in allato exemplo.

Notandum secundò. Ut actus ab objecto accipiat speciem moralitatis, pro necessaria conditione connotare practicum representationem & iudicium rationis: neque enim objectum præcise ut in se est, sed ut substat cognitioni practice, speciem tribuit; quâ de causâ ignorantia invincibilis sæpenumerò aufert malitiam, quam actus alioquin ex objecto contraxisset; e. g. in adoratione hostiæ non consecrata, quæ tamen per invincibilem ignorantiam putatur esse consecrata, à parte rei est adorabilis hostiæ non consecrata, quæ simpliciter est prohibita & objectum idolatriæ: quia tamen hoc objectum non stat sub practica representatione intellectus, sed e contrario adorabilis Christi sub hostia, quæ invincibiliter & prudenter consecrata iudicatur, excellentia est huius adorationis objectum hic & tunc representatum & practice iudicatum, idcirco actus adorationis ab hoc objecto specificatus est honestus, & procedit ex virtute religionis. His positus sit

CONCLUSIO prima. *Actus humani speciem formalem bonitatis vel malitiae accipiunt ex objecto, S. D. q. 18. a. 2. dicens. Sicut res naturalis habet speciem ex sua forma, quæ dat speciem ei; ita & prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto convenienti.* Colligitur Ol. 9. ubi de peccatoribus dicitur: *facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* Unde & D. August. tr. 2. in Jo. *Si terram diligis, terra es: si DEUM diligis, quid dicam?* DEUS eris.

Ratio est indicata à S. Doctore: Ita se habet objectum ad actum in specificando extrinsecè, sicuti forma naturalis habet se ad compositum in specificando intrinsecè: sed forma naturalis dat composito primam & essentialem speciem intrinsecè: ergo etiam objectum dat actui primam & essentialem speciem extrinsecè: naturalem quidem, si spectetur in esse naturæ; moralem, si spectetur in esse moris.

Obijcies primò. Datur actus moralis indifferens saltem secundum speciem; sed iste non habet ex objecto speciem boni, vel mali moralis. Nam objectum v. g. ambulationis ut sic est delectabile exercitium corporis à regulis rationis neque præscriptum neque prohibitum, sed pure permittitum, adeòque indifferens ad bonum & malum: ergo actus indifferens speciem boni vel mali non accipit ab objecto.

Secundò. Juxta S. D. in 2. 2. q. 124. a. 3. actus fortitudinis speciem suæ honestatis non accipit ab objecto, quod est tolerantia passionis, vel mortis, nisi accedat aliquis finis extrinsecus altioris virtutis, v. g. religionis, aut justitiæ.

Tertiò. Actus interioris objectum est actus externus, v. g. objectum huius actus, *volo furari*, est ipsum furtum externus: sed actus externus non potest interiori dare malitiam aut bonitatem; siquidem ipse suam bonitatem aut malitiam omnem accipit ab actu interno voluntatis: ergo non omnis actus humanus speciem suæ moralitatis accipit ab objecto.

Quartò. Objectum huius actus, *volo honestè vivere*, est in confuso materia omnium virtutum;

sicut & objectum istius actus, *volo peccare*, est indeterminatè materia & objectum omnium vitiorum: sed hoc non potest speciem determinatam actui tribuere: ergo.

Respond. ad 1. juxta supra dicta actum indifferenter secundum speciem, habere ex objecto essentialem speciem indifferentiæ, quæ deinde per accessum finis & circumstantiarum in individuo trahitur ad speciem boni, vel mali moralis.

Ad 2. Respond. mentem S. Doctore esse, quòd objectum fortitudinis requirit connexionem finis extrinseci alterius virtutis per modum conditionis & connotari extrinseci, non autem per modum specificativi formalis: licet enim sustentia passionis vel mortis absolute non habeat honestatem, nisi connotet alium honestum finem, ad quem ordinetur: posita tamen tali conditione etiam ex propria materia habet specialem honestatem, quæ non relucet in honestate finis adjuncti, nimirum ratione peculiaris difficultatis in cuius victoria specialis honestas reperitur.

Ad 3. neg. min. ejusque probationem dist. a. Actus externus accipit suam bonitatem formalem ab interno & ut est in executione positus, concedo; accipit bonitatem, vel malitiam objectivam, & ut est in intentione, nego, de quo plura infra.

Ad 4. nego maj: nam objectum istius actus, *volo honestè vivere*, est finis ultimus naturæ rationalis quæ talis, nempe vel bonum honestum naturale convenientis naturæ rationali quatenus elevarè in finem supernaturalem. Similiter iste actus, *volo peccare*, habet pro objecto ultimum finem inordinatum, nempe proprium commodum inordinatum, in quod fertur depravatus appetitus naturæ sibi relictae.

§. II.

Species à circumstantiis.

Notandum primò. Circumstantias actus humani communiter illo trito versiculo enumerari. *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?*

Cujus numeri ista est ratio. Tot sunt circumstantiæ, quot sunt speciales modi extrinsecè afficiendi actum humanum: (hoc quippe significat circumstantia tanquam extra substantiam actus constituta, eumque circumstans) sed ejusmodi sunt septem: ergo. Min. probatur: Actus afficitur extrinsecè vel secundum seipsum, vel secundum suam causam, vel secundum aliquem suum effectum. Actum ipsum afficit vel modus agendi, vel mensura ipsius. Modus agendi constituit circumstantiam *quomodo?* mensura est circumstantia temporis & loci, ceu *quando & ubi.*

Ratione causæ actus afficitur, vel quia aliquid est causa finalis ipsius, & est circumstantia *cur?* vel quia est causa efficiens principalis, & est circumstantia *quis?* vel quia est causa instrumentalis, & hæc est circumstantia, *quibus auxiliis?* vel quia est causa materialis, & est circumstantia, *quid?* quæ etiam ex parte effectus considerari potest. Ex his circumstantiis potissima est finis, non *finis operis*; quia iste non distinguitur ab objecto, de quo art. præced. sed *finis operantis*, quæ est motivum voluntatis, ideoque peculiarem habet considerationem. E. g. si quis occidat Clericum

cum ex intentione prædandi pecunias, objectum actus & finis operis est injusta vitæ ablatio, tam præcepto charitatis quam justitiæ repugnans. Circumstantia *cur* & finis operantis est injusta ablatio rei alienæ contra virtutem justitiæ. Circumstantia *quid* ex parte causæ materialis est violatio personæ sacræ repugnans virtuti & præcepto religionis.

10. Notandum secundò. Extra dubium esse, quòd actus humanus accipiat moralem bonitatem aut malitiam ex circumstantiis, nam Gen. 4. reprobatur sacrificium Caini propter admixtam circumstantiam odii erga fratrem. Matth. 6. reprehenduntur dantes elemosynam ex fine vanæ gloriæ. Magnitudo personæ peccantis aggravat peccatum ut ex Isidoro habet S. D. q. 73. a. 10. Ratio est: quia bonitas & malitia humanorum actuum attenditur secundum conformitatem vel difformitatem ad regulas morum: sed circumstantiæ faciunt actum aliquando absolutè conformem vel difformem, aliquando magis vel minus conformem aut difformem ad regulas morum: ergo circumstantiæ tribuunt actui humano aliquam bonitatem, vel malitiam. Superest quæstio, an & quæ circumstantiæ actui humano tribuant novam speciem bonitatis, vel malitiæ, distinctam à specie quam actus accipit ab objecto.

11. **CONCLUSIO** secunda, *Ille circumstantiæ tribuunt novam & distinctam speciem bonitatis aut malitiæ, quæ afferunt novam conformitatem, vel novam difformitatem & repugnantiam cum regulis morum.*

Ratio est: quia ut dictum, bonitas moralis consistit in conformitate, malitia verò in difformitate cum regulis morum & rectæ rationis: ergo illæ circumstantiæ tribuunt novam speciem bonitatis, quæ afferunt novam conformitatem; illæ verò novam speciem malitiæ, quæ afferunt novam difformitatem cum regulis morum & rectæ rationis: cæteræ verò circumstantiæ solummodò tribuunt vel augmentum, vel diminutionem bonitatis aut malitiæ. E. g. furatur aliquis calicem aureum die festivo ex fine fornicandi, in hoc actu, præter speciem furti vel injustitiæ quæ ab objecto accipitur, circumstantia finis tribuit novam speciem fornicationis, propter novam repugnantiam cum virtute & præcepto castitatis. Item circumstantia *quid*, sive materiæ sacræ tribuit novam speciem sacrilegii propter novam & specialem repugnantiam cum virtute & præcepto Religionis. Circumstantia verò pretiositatis, quòd calix sit aureus, item quòd furtum committatur die festivo, seu circumstantia temporis, quia non inducunt aliquam specialem difformitatem vel repugnantiam cum distincto præcepto & virtute, propterea sunt species tantummodò aggravantes, non autem speciem mutantes.

12. Dices: Actus humani specificantur ab objecto, sed circumstantiæ non pertinent ad objectum; siquidem per modum accidentium illi jam præsupposito superveniunt: ergo actus humani non accipiunt speciem à circumstantiis.

Respond. dist. min. Circumstantiæ non pertinent ad objectum, quatenus comparantur ad primam & essentialem speciem, quam actus recipit ab objecto, concedo; quatenus comparantur ad

actum, quem trahunt ad novam speciem moralitatis, nego min. ergo non accipiunt novam speciem à circumstantiis sub prima consideratione, concedo; sub secunda, nego consequentiam. Igitur circumstantia potest dupliciter considerari, primò, quatenus supervenit actui in sua specie constituto, & sic habet se per modum accidentis & servat rationem circumstantiæ: secundò, prout fundat in objecto novam objectivam repugnantiam cum recta ratione, ex qua actus peccaminosus sortitur novam speciem peccati & sic non manet pura circumstantia, sed transit in conditionem objecti.

§. III. Species à fine.

CONCLUSIO tertia. *Actus humanus semper accipit aliquam speciem moralitatis à fine.* Ita constat ex præcitato c. 6. Matth. Ratio est: quia tunc actum humanorum bonitas & malitia aliquo modo pendet ex fine, quando eorum esse pendet ex fine: sed omnium actuum humanorum esse pendet ex fine: ergo etiam illorum bonitas vel malitia. Min. constat: Sicut enim motus operantis est motivum voluntarii, ita necessaribò semper est causa actus voluntarii, & consequenter esse actus humani & voluntarii à fine dependet.

Dixi, aliquo modo actum humanum accipere suam speciem à fine: quia pro diversitate actuum aliquando accipit speciem essentialem, aliquando accidentalem.

Nam actus internus vel est merè elicitus circum finem, estque ipsa finis intentio, vel ex præter intentione imperatus, ut electio medicorum ad consequendum finem: si est merè elicitus, tunc accipit à fine operantis speciem essentialem, cum iste actus pro immediato & specificativo suo objecto respiciat ipsum finem operantis: si verò sit imperatus, tunc est distinguendum: vel enim accipitur reduplicativè, quatenus nimirum imperatur, & tunc speciem essentialem accipit à fine operantis, quem ut sic per se primò respicit: Si autem sumatur specificativè, tunc ab objecto proximo tanquam fine operis sumit speciem essentialem, à fine verò accidentalem. Utrumque indicat S. Doctor, & primum quidem q. 1. de virtutibus a. 10. *Actum alicujus habitus, prout imperatur ab illo habitu, accipit speciem moralem, formaliter loquendo de ipso actu; unde cum quis fornicatur ut furetur, actus iste licet materialiter sit intemperantia, tamen formaliter est avaritia.* Alterum expressit hic q. 18. a. 2. dicens: *Sicut prima bonitas rei naturalis attenditur ex sua forma, quæ dat speciem ei, ita & prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto convenienti.* Idem proportionaliter est de malitiâ. Et ratio ulterior est, quòd quæ in actu se habent variabiliter, sunt contingentiæ: sed bonitas & malitia ex fine operantis habent se variabiliter in actu; nam furtum v. g. semper habet speciem injustitiæ, quòd autem habeat malitiam fornicationis, est ipsi per accidens: ergo.

Colliges ex dictis. In eodem physice actu plurimè res bonitates, vel malitias specie distinctas reperiri posse. Hoc ipso, quòd idem physice actus possit habere plures conformitates vel difformi-

tates ad regulas rectæ rationis. Unde etiam quadruplex bonitas naturalis seu transcendentalis, quæ sequitur actionem ut actio & ens est, eaque non minus actui malo, quam bono communitis est. Secunda est bonitas moralis essentialis,

quæ sumitur ex objecto. Tertia est bonitas moralis accidentaliter desumpta ex circumstantiis. Quarta est eadem bonitas moralis desumpta ex fine, tanquam causa & motivo ipsius actus.

ARTICULUS III.

An detur actus humanus indifferens in individuo?

SUMMARIUM.

1. Dantur actus indifferentes secundum speciem.
2. Non dantur in individuo.
3. Quomodo species salvari debeat in individuo.
4. Quæ lege homo obligetur omnia opera ordinare in finem honestum.
5. Sine homo obligatus omnem suum actum ordinare in finem supernaturalem?
6. An in casu invincibilis ignorantia, aut in sequela Scotistica sententia detur actus indifferens?

§. I.

Resolutio quæstionis.

1. Suppono ex dictis, dari aliquos actus indifferentes, qui secundum speciem & præcisè ex meritis objecti, ad quod ab intrinseco referuntur, sunt indifferentes: siquidem deambulatio v. g. habens pro objecto exercitationem corporis, delectabilitatem lege permissam, ex vi objecti nec est bona, nec mala, sed indifferens; siquidem objectum ex se est prorsus indifferens, ut voluntas illud referat in finem honestum, & naturæ quæ rationali consentaneum, cum ex se solummodò dicat proportionem & commensurationem cum bono naturæ humanæ quæ sensitivæ. Quæstio est, utrum non solum secundum metaphysicam abstractionem & in statu essentia, ut vocant, sed & parteteri, in statu realis exercitii & in individuo prout actus à voluntate egreditur, detur actus aliquis humanus indifferens, qui neque sit bonus, neque malus moraliter?

2. CONCLUSIO: Non potest dari actus humanus indifferens in individuo. Ita contra Scotum S.D. hic q. 18. a. 9. Conformiter D. Augustino ep. 19. dicenti: Cavendum esse, ne quedam facta hominum media dicamus inter rectè facta & peccatum.

Probatum primò autoritate legis Evangelicæ damnantis malitiæ verbum otiosum: sed eadem est ratio de actu indifferente, tanquam otioso: ergo & iste est damnabilis & consequenter non manet indifferens.

Min. probatur: verbum otiosum est & dicitur tale, non quia in nullum, aut malum finem proximum ordinatur, sed quia non ordinatur in debitum finem: atqui actus indifferens etiam non ordinatur in debitum finem; adeoque æque, imò magis est vituperabilis, quam verbum otiosum. Minor probatur: finis delectationis & commoditatis sensibilis non est debitum neque commensuratum naturæ rationali quæ tali: atqui actus indifferens juxta explicationem Adversariorum ordinaretur in finem delectationis & commoditatis sensibilis: ergo.

Probatum secundò autoritate Theologorum communi consensu divinam providentiam adequatè dividendum in providentiam approbationis circa opera bona, & permissionis circa opera mala. Sed hæc divisio non esset adequata, si darentur opera indifferencia; siquidem pro istis tertius modus divinæ providentiæ deberet assignari.

Probatum tertio autoritate Philosophorum, secundum quos non dantur habitus indifferentes: nam de natura habitus est bene vel malè disponere subjectum; ideoque Philosophus 2. Eth. dicit: quod per habitus morales homo fiat melior, vel deterior. Atqui non est assignabilis disparitas, quare non deberent admitti habitus indifferentes generati ex actibus indifferenteribus si darentur, cum admittendi sint habitus virtuosos generati ex actibus studiosis, & habitus vitiosos generati ex actibus vitiosis.

Probatum quarto hæc ratione. Omnis actus humanus, quicumque nec formaliter nec virtualiter dirigitur in finem honestum, est malus: sed actus, quem vocant indifferenterem, non dirigitur in finem honestum formaliter aut virtualiter, (aliàs quippe foret honestus & bonus moraliter:) ergo est moraliter malus & inhonestus. Major, de qua est status quæstionis, probatur: Actus humanus qui deficit à fine sibi quæ tali debito est malus moraliter: sed actus humanus non ordinatus in finem honestum, deficit à fine sibi quæ tali debito: ergo actus humanus non relatus in finem honestum hoc ipso est malus. Major constat: quia actus moraliter malus nil aliud est quam actus deficiens à fine & regula sibi debita. Minor probatur: Actui creaturæ rationalis quæ talis debetur finis honestus & consonus rectæ rationi, referibilis in debitum finem ultimum: hoc solo quippe fine in suo modo agendi homo differt à brutis animantibus, quæ & ipsa feruntur in bonum delectabile sensui accommodatum: Atqui actus humanus non relatus in finem honestum, deficit ab hoc fine: ergo etiam actus humanus non relatus in finem honestum, deficit à fine actui creaturæ rationalis quæ talis debito.

Confirmatur primò. Finis non subordinatus ultimo fini naturæ rationalis est deordinatus, & consequenter etiam actio tendens in tunc finem: atqui solum bonum honestum est subordinatum ultimo fini naturæ rationalis; cum bonum delectabile ut sic præcisè respiciat ultimatò proprium commodum & bonum naturæ sensitivæ: ergo.

Confirmatur secundò. Operari modo bruti est operari difformiter regulis prudentiæ, utpote distantis, omnia esse ordinanda in finem congruum: sed qui hæret in bono delectabili, non respiciendo

respicendo altiorem & honestum finem creaturæ rationali proprium, operatur modo & more bruti: ergo.

Confirmatur tertio. Invertere ordinem à DEO auctore naturæ operationibus præstitutum, est inordinatum & defectuosum: sed operari propter delectationem [quod fit in actibus indifferentibus Scotistarum, utpote comestione, deambulatione, fricatione &c.] est invertere ordinem à DEO auctore naturæ nostris operationibus præstitutum: ergo. Min. est S. D. suprâ q. 4. a. 2. ad 2. dicentis: *Divinus intellectus, qui est institutor naturæ, delectationes posuit propter operationes; nimirum ut istæ suavius & facilius elicerentur: ergo non delectatio debet esse finis operationis, sed operatio delectationis.* Et hinc est, quod sententia docens, non esse peccatum comedere ad satietatem solius delectationis causâ, quia licite potest appetitus naturalis suis adibus frui, & conjuges actum conjugii exercentes solius voluptatis causâ non peccare venialiter, fuerit damnata ab INNOCENTIO XI. ANNO 1679. n. 8. & 9.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

3. **O**bjicies primò. Omnis species salvatur in aliquo suo individuo: sed datur sub genere moralitatis species indifferentiæ: ergo hæc salvari debet in individuo.

Respond. dist. maj. debet salvari in individuo secundum prædicata essentialia convenientia pro statu reali, concedo maj. secundum prædicata convenientia pro statu essentia & metaphysicæ præcisionis, nego maj. ergo indifferentia debet salvari in individuo secundum prædicatum convenientis pro statu reali, nempe tendentiæ positivæ in objectum delectabile lege permissum, concedo; secundum prædicatum negativæ indifferentiæ ad bonum & malum, quod convenit secundum statum metaphysicæ præcisionis, nego consequ. ergo datur in individuo actus indifferens, nec bonus nec malus, nego consequentiam. Sicut enim est impossibile dari hominem à parte rei, qui non sit contractus ad individuum hominis, ita est impossibile dari actum humanum, qui non sit ex determinato fine & motivo, homini quâ tali vel proprio, vel non proprio: si ex fine proprio, jam actus induit bonitatem; si ex non proprio, induit malitiam moralem.

Dices, Species contrahitur, non destruitur, per superadditas differentias à parte rei: ergo etiam actus indifferens secundum speciem manet talis à parte rei, neque transit in distinctam speciem moralitatis. Respond. dist. maj. species physicæ talis non destruitur à parte rei, & secundum prædicata realia, concedo; species quæ tantum est talis secundum metaphysicam abstractionem, nego anteced. & consequentiam. Siquidem indifferentia non est physica species moralitatis, quæ à parte rei reperitur in pluribus individuis, uti species hominis, &c. sed tantum metaphysica, & secundum metaphysicam abstractionem, in quantum intellectus præscindens ab omnibus principiis moralitatis specificam moralitatem constituentibus, considerat actum quatenus præcisè terminatum ad aliquod objectum lege per-

missum: cum tamen à parte rei fieri non possit illud objectum per conventionem debiti vel indebiti finis non trahatur ad determinatam speciem bonitatis, aut malitiæ objectivæ.

Objicies secundò. Ubi non est lex, ibi nec prævaricatio: atqui nulla lex obligat, ut homo in omni sua operatione quærat honestum finem: ergo. Minor probatur primò: quia non potest ostendi, ad quodnam præceptum decalogi hæc obligatio pertineret. Secundò. Non est assignabilis virtus, è cuius motivo lex illa procederet.

Tertio. Praxis fidelium tenet, quòd nullum sibi de ejusmodi actibus scrupulum faciant, neque de his sese in confessione accusent. Quarto. Non esset ratio, cur non homo æque foret obligatus, ut omnem suam operationem referret in ultimum finem supernaturalem; siquidem natura rationalis de facto non tantum est ordinata ad finem honestum naturalem, sed etiam ad ultimum finem supernaturalem: atqui hoc nimis foret scrupulosum, & moraliter impossibile.

Respond. neg. min. est quippe lex naturalis aliorum præceptorum naturalium quasi fundamentum, ne homo in suo proprio modo operandi deficiat ab ordine & fine sibi ab auctore naturæ præscripto & in ipsa natura radicato: Unde actus à fine honestatis deficiens saltem medietate contrariatur præcepto negativo charitatis, quòd homo tenetur, ne ullam suam operationem subtrahat à relatione ad DEUM ut ultimum finem. Ex quo patet responsio ad primam & secundam probationem.

Ad tertiam probationem Respond. Ideo apud fideles non esse ustatum, ut se accusent de ejusmodi operationibus, quia ut plurimum sunt indeliberate, & præcisè ex impulsu nature provenientes. Facillimè etiam isti actus saltem virtualiter ab homine in gratia & charitate constituto referuntur in DEUM: quia, ut inquit hic S. D. *hoc ipsum, quòd aliquis agit ordinate ad sustentationem vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis ordinatur.*

Ad 4. nego sequelam. Quia ordinatio hominis in finem honestum est intrinseca nature rationali, & in ipsius principis intrinsecis fundata, ordinatio verò seu elevatio in finem supernaturalem est ab extrinseco DEI decreto, quòd non præsumitur humane nature obligationem tam gravem, & servatu ferè impossibilem voluisse imponere.

Objicies tertio: Si quis invincibiliter ignoraret hoc præceptum, vel sequeretur sententiam probabilem Scoti in eliciendo actum qui ex objecto indifferens est, is neque faceret actum honestum & bonum, neque actum moraliter malum: ergo in hoc casu faceret actum indifferenter. Anteced. probatur: quia actum honestum non elicit, nisi qui intendit directè finem honestum: at iste non intendit, quia vult & putat se facere actum indifferenter. Rursus non facit actum moraliter malum: quia, ut supponitur, vel laborat invincibili ignorantia malitiæ actui conjunctæ, quæ ipsi consequenter non est imputabilis in culpam; vel sequitur sententiam verè probabilem totius Scholæ Scotificæ, quam qui sequitur prudenter & sine peccato operatur.

Respond.

Respond. In tali casu operationem fore simpliciter honestam & licitam, quoniam in omni operatione iudicio remoto & speculativo, sive in actu signato, existimaret, se elicere actum indifferentem; quia tamen in iudicio pratico & proximo iudicat se licite & prudenter operari, ita ut licititas

objecti ejusque conformitas cum regulis prudentiæ sit ipsi proximum motivum operandi, propterea in actu exercito amplecteretur motivum verè honestum conveniens recte rationi, adeoque eliceret actionem bonam & honestam.

ARTICULUS IV.

An idem numero actus possit transire de bono in malum?

SUMMARIUM.

1. Status questionis.
2. Non potest idem numero actus transire de bono in malum.
3. Pars instantia in contrarium.
4. Disparitas de moribus primò primò.
5. Disparitas de transitu actus necessarii in liberum.
6. Disparitas de actu charitatis manente in patria.
7. Disparitas de actu intellectus transiente de vero in falsum.
8. Actus externus semper mutatur in esse moris, quoties fit ex bono in malum.

§. I.

Affertio negativa.

Actum est actum externum & imperatum, si spectetur in genere naturæ, posse de bono in malum transire: quia bonitas vel malitia moralis accedit naturæ actus externi; unde iisdem variatis ipsa tamen naturalis entitas non variatur. e. g. cœna ante mediam noctem ex honesto fine inchoata, & ultra mediam noctem, à qua incipit obligatio jejunandi, cum ejusdem advertentia continuata, quamvis initio fuerit moraliter honesta, deinde tamen incipit esse mala. Quæritur igitur est de actu interno elicito voluntatis, à quo etiam actus externus moraliter bonus vel malus denominatur, an ille invariata sua individuali & numerica entitate possit transire de bono in malum? ubi affirmativam tuentur Capreol. in 2. dist. 40. Cajetanus hic q. 19. a. 1. Vasq; aliique.

Queritur ergo in primis: utrum eidem numero actui interno voluntatis entitativè & physicè invariato bonitas & malitia moralis successive convenire possit, seu an possit transire de bono in malum? Deinde, an saltem actus ex fine malus possit secundum quid esse bonus ex objecto, vel à converso, malus ex objecto esse bonus secundum quid ex fine, vel aliâ circumstantiâ? Sicuti videmus in naturalibus & artificialibus aliquid esse ex una principali parte album, rectum, pulchrum, quòd tamen secundum quid & ex aliqua parte est nigrum, deforme, distortum. Primam partem in præsentem; alteram resolvemus in articulo sequenti.

CONCLUSIO. Non potest unus idemque numero voluntatis actus etiam entitativè spectatus successive transire de bono in malum. Ita Sorus q. 20. a. 6. & Rhedings q. 8. a. 3. controvers. 3. Ratio est: Quoties mutatur objectum formale motivum & specificativum actus, toties entitativè mutatur actus voluntatis: sed quoties actus

voluntatis transit de bono in malum, toties mutatur objectum specificativum actus voluntatis; ergo. Minor probatur: Objectum specificativum actus boni est bonum honestum directè movens voluntatem ad sui protectionem, objectum verò specificativum actus mali est bonum sensibile habens conjunctam objectivam honestatem seu difformitatem cum regulis rationis, quod ratione suæ delectabilitatis directè, ratione verò inhonestatis tantum indirectè fit volitum: sed ista sunt objecta formaliter diversa, utpote in ipsa virtute & efficacia movendi inter se differentia, quorum unum est intrinsecè referibile, alterum verò irreferibile in Deum ut finem ultimum.

Confirmatur primò. Est impossibile, ut idem numero actus modò sit actus virtutis, modò sit actus habitus vitiosi: cum isti habitus inter se contrariantur, & consequenter producant actus contrarios: sed actus honestus & studiosus est actus virtutis, e contra actus inhonestus est actus vitiosus: ergo.

Confirmatur secundò. Est impossibile, ut actus malus transeat successivè in actum bonum: ergo similiter est impossibile, ut actus bonus transeat in malum. Eadem quippe, ut dici solet, est via Athenis Thebas, & Thebis Athenas. Anteced. videtur certum; quia actus malus secundum suam entitatem procedit à voluntate, ut ab illa pendeat non tantum ut à principio efficiente, sed etiam deficiente, & in ipso suo fieri deficienter tendat in objectum quatenus habens adjunctam objectivam difformitatem cum regulis rationis: ergo, nisi voluntas contrariò modo se habeat in productione sui actus, non poterit elicere actum bonum: sed hoc ipso non manebit eadem entitas actus mali & peccaminosi.

Confirmatur tertio. Actus bonus voluntatis secundum suam entitatem saltem ut plurimum pender ab auxilio speciali. & quidem supernaturali, si fiat ex motivo supernaturali: e contra impossibile est, actum malum pendere ab auxilio speciali: ergo si actus bonus in malum transeat, necesse est mutari entitatem actus, mutato videlicet concursu & influxu conservativo utriusque.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Dices primò. Idem numero actus voluntatis, videlicet motus primò primus, potest fieri de necessario liber, de non morali moralis, & de non malo malus: ergo etiam idem numero actus voluntatis potest successivè transire de bono in malum. Consequenter probatur: quia ideo in

priori casu manet idem numero actus, quia tantum variatur propositio & representatio objecti, non autem ipsum objectum: sed hoc ipsum contingit in secundo casu: e. g. habeat aliquis voluntatem celebrandi missam, quando nulla indispositione vel precepto est impeditus, & maneat in ista voluntate, etiam dum est impeditus v. g. fractione jejuniij, vel interdicto Ecclesiæ &c. hic tantum variatur propositio objecti; quia primitus celebratio Sacri representabatur sine impedimento, & postea representatur cum impedimento o prohibitionis.

Secundò. Idem numero actus charitatis, qui erat in via, manet & continuatur in patria; quia nimirum diversitas solum se tenet ex parte propositionis & iudicii intellectualis: ergo idem dicendum de actu bono transeunte in malum; ut eum quis habens voluntatem possidendi rem aliquam, quam invincibiliter putat esse suam, hanc voluntatem continuat, etiam cum advertit esse alienam.

Tertiò. Sicuti se habet verum & falsum ad actum intellectus, ita se habet bonum & malum ad actum voluntatis, inquit S. D. cit. q. 19. a. 2. sed idem numero actus intellectus potest transire de vero in falsum propter solam extrinsecam mutationem objecti: ergo idem numero actus voluntatis potest transire de bono in malum, per unius inordinatæ circumstantiæ additionem.

4. Respond. ad 1. permissâ maj. negando consequentiam. Disparitas est primò; quia motus primò primus consideratur in esse naturæ, ut specificatus per bonum representatum sub materiali ratione finis & boni. Cum igitur moralitas supponat naturam actus, eique tanquam subiecto superveniat, ideo motus primò primus non destruitur & mutatur entitative, sed trahitur solum ad genus moralitatis, superadditâ cognitione indifferente objecti quatenus substantis regulis morum: Unde nec objectum specificativum istorum motuum propriè mutatur, sed potius completur & perficitur, in quantum id, quod prius in modo specificandi habeat se modo imperfecto & tanquam finis solum materialis, accedente deliberatione rationis habet se tanquam finis formalis completè specificatus.

Econtra actus bonus non habet se ut subiectum & dispositio ad actum malum, sed ex vi sui proprii objecti formaliter motivi contrariatur actui malo; & ita secundum naturam contrariorum succedente actu malo destruitur.

5. Disparitas est secundò inter transitum ab actu necessario in liberum, & a bono in malum, quòd libertas & necessitas non pertinent ad speciem actus humani, sicuti bonitas & malitia, sed ad accidentalem modum tendendi in objectum; Unde, mutatâ propositione iudicii circa idem formaliter objectum, in eodem actu variari possunt: bonitas autem & malitia moralis pertinent ad speciem actus voluntatis, nec sine mutatione formalis objecti variari possunt.

Dices. Esto, quòd bonitas & malitia moralis pertineant ad speciem actus in esse moris, non tamen pertinent in esse naturæ: ergo licet actus in esse moris varietur mutata bonitate ipsius, non tamen est necesse ipsum mutari in esse naturæ.

Respond. distinguendo antecedens: non pertinent ad speciem actus in esse naturæ directe & per se primò, concedo; indirectè & per quandam necessariam connexionem ac redundantiam in esse naturæ, sic nego. Quia licet secundum primum conceptum esse naturalis metaphysicè abstractum, actus voluntatis, v. g. actus dilectionis, præcisè concipiatur per modum liberæ tendentiæ in objectum amabile; quia tamen à parte rei voluntas movetur ab objecto amabili, non tantum ratione amabilitatis naturalis, sed etiam amabilitatis moralis nempe honestatis, ac proinde in ipsâ elicientiâ sui actus non tantum est principium physicum, sed etiam morale, idcirco esse morale istius actus sic imbibitur in esse naturali ipsius, ut sine destructione entitativa ipsius actus mutari non possit.

Ad probationem dico, variatâ propositione objecti, non variatur actus, quando ex diversâ propositione non resultat diversum specificativum voluntatis, concedo; quando resultat utriusque in proposito, sic nego. Et ex his patet responsio ad 2. cum enim actus charitatis, qui fit in via, continuatur in patria, est idem species actus tam in esse naturæ, quam in esse moris; adeoque diversâ propositione & regulatio intellectus non redundat in diversitatem objecti.

Ad 3. multi negant min. quâ tamen permittit. Resp. Etiam si in hoc sit paritas, quòd, sicuti objectum specificativum intellectus est verum, ita voluntatis sit bonum, & sicuti veritas & falsitas, sic bonitas & malitia contrariantur: in hoc tamen esse disparitatem, quòd veritas & falsitas præcipuè pertineant ad ordinem naturæ, contra bonitas & malitia ad genus moris. Item, quòd bonitas & malitia actus desumuntur per commensurationem ad objectum non prout est extra intellectum, sed prout est voluntati per practicam rationem propositum, contra veritas & falsitas actus intellectus sumuntur per commensurationem ad res ut sunt extra, non ut sunt intra intellectum: ex quo jam patet ratio disparitatis: nam, quia actus intellectus ut sic specificatur ab objecto quatenus existente intra intellectum, & ut vocant, in actu signato, secundum rationem veritatis aut falsitatis aut denominatur ab objecto ita se habente, vel non habente extra intellectum in actu exercito: idcirco manente eodem specificativo, potest tamen mutari objectum veritatis & falsitatis, & consequenter etiam manente eodem actu potest variari veritas & falsitas ipsius. E. g. si intellectus dicat: Petrus currit, objectum specificativum huius actus est cursus Petri, representatus ut coexistens huic enuntiationi: quo objecto adeoque etiam actu durante potest aliquando Petri cursus à parte rei coexistere, & tunc actus erit verus; poterit etiam aliquando non coexistere, & tunc actus erit falsus. Econtra specificativum actus boni est bonum representatum & practicè iudicatum intra intellectum, quòd specificativum semper mutatur, quoties actus transit de bono in malum, iuxta supra dicta.

Colliges ex dictis. Actum externum & imperatum à voluntate in esse moris semper mutatâ quoties fit ex bono malus: quia actus externus denominat.

denominationem extrinsecam bonitatis & malitiae moralis sumit ab actu interno voluntatis: sed iste mutatur secundum dicta; ergo etiam mutatur moralitas actus externi.

ARTICULUS V.

An idem numero actus possit simul esse bonus & malus moraliter?

SUMMARI A.

1. Status questionis.
2. Assertio negativa.
3. Finis amittit bonitatem ex malitia objecti.
4. Objectum amittit bonitatem ex malitia finis.
5. Mala circumstantia destruit bonitatem objecti.
6. Non est possibile preceptum prohibitivum actus supernaturalis non directi in finem charitatis.
7. Habitus misericordiae non augetur positive per elemosynas datus ex malo fine.
8. Intentio suscipiendi Sacramentum ex fine venialiter malo non est moraliter bona.
9. Potest impleri preceptum per actum externum tantum materialiter bonum.
10. Intentio bona vitatur per malam electionem per se conjunctam.
11. Et electio bona per malam intentionem.
12. Non vitatur bona intentio, si mala electio per accidens coniungitur.
13. Intentio boni finis diminuit malitiam pravae electionis.
14. Exorbitans affectio erga aliquem finem reddit intentionem vitiosam.

§. I.

Assertio negativa.

1. Non est dubium, actionem humanam, quae ab operante ordinatur in malum finem, aut mala circumstantia vitatur, esse simpliciter malam, quantumvis ipsius objectum sit bonum: ut enim D. Th. hic a. 4. ad 3. *Non est actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant, quia quilibet singularis defectus causat malum: bonum autem causatur ex integra causa, ut Dionysius dicit 4. cap. de divin. nomin.* Controversia igitur solum est, an saltem secundum quid, actus ex fine malus possit esse bonus ex objecto; an vice versa malus ex objecto, bonus ex fine, aliave circumstantia? quemadmodum in naturalibus & artificialibus videmus, aliquid esse ex una & principali parte album, pulchrum, rectum, & secundum quid, sive ex aliqua parte nigrum, deformem, distortum.

2. Conclusio. Impossibile est, ut idem numero actus habeat oppositas species moralitatis unam simpliciter, alteram secundum quid: ut sit [2] bonus ex fine, & malus ex objecto; [3] vel malus ex fine, & bonus ex objecto; [4] vel bonus ex objecto, & malus ex circumstantia. Ita Jo. à S. Th. contra Cajetanum, Serram, & alios. Videtur esse doctrina clara S. D. hic q. 19. a. 7. ad 2. & 3. & in 2. dist. 38. q. 1. a. 4. ad 4. Ubi sic habet: *Cum aliquis vult dare elemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis, & hic actus totus malus est, licet non ab omni eo, quod inest, malitiam habeat.*

2. L. Mez. g. Theol. Schol. Tom. II.

Ratio primae partis & universaliter ex praedictis est: quia specificativum bonitatis & malitiae moralis ita sibi contrariantur, ut ne quidem successively eundem numero actum voluntatis possint afficere; ergo non potest fieri ut unus idemque actus sit simul moraliter bonus & malus. Neque valet dicere, posse esse bonum secundum quid, quia non minus bonitas & malitia actus, quam veritas & falsitas consistunt in indivisibili; est enim bonitas commensuratio actus cum objecto non solitarie considerato, sed ut vestito omnibus debitis circumstantiis, quas dicitur regula rectae rationis. Unde si una harum deficiat, jam actus est difformis regulis rectae rationis, & consequenter tota bonitas evanescit: siquidem non amplius subsistit prudens & praeicum dictamen ac iudicium honestatis, quod ad moralem bonitatem necessarium praerequiritur.

Secundae partis ratio specialiter est: quando objectum actus est malum, finis vero bonus, tunc finis definit esse bonus; ergo nullam actui potest tribuere bonitatem. Antec. probatur: Finis ut sic est ratio volendi media: sed ratio volendi medium malum, est mala; ergo etiam finis operantis, ut movens ad electionem mali objecti, est malus.

Tertiae partis ratio est: Medium ordinatum ad finem malum, est malum: atqui licet actus terminetur ad objectum, quod esset ex se bonum, si tamen ordinat ad finem malum, jam illud appetit tanquam medium relatum in finem malum, & ut causam finis mali in executione: ergo appetit illud ut malum; ideo S. D. in 2. dist. 38. q. 1. a. 4. ait: *Cum aliquis vult elemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis, & hic actus totus malus est, &c.*

Quarta partis ratio est: tunc actus non potest habere bonitatem ex objecto, quando bonitas objectiva destruitur: sed quoties actus fit malus & vitiosus ex mala circumstantia, toties bonitas objectiva destruitur: ergo. Min. probatur: quoties actus fit malus ex circumstantia, transit in rationem & conditionem objecti: sed non potest in objecti conditionem transire nisi illud informando & communicando suam malitiam; ergo quoties actus est malus ex circumstantia, toties objectum induit malitiam, ac proinde amittit objectivam bonitatem.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objectiones primò: Si DEUS homini praeceptum imponeret, ut nullum actum supernaturalē eliceret, qui dirigeretur in finem charitatis, tunc homo transgrediendo tale praeceptum eliceret actum simul bonum & malum moraliter; bonum, quia

quia esset actus supernaturalis ~~non~~ directus in finem charitatis; malum verò, quia prohibitum: ergo potest dari actus simul bonus & malus.

Respondeo negando possibilitatem hujus præcepti: tum quia non minus implicat, à DEO prohiberi actum essentialiter bonum, quam præcipi malum: tum quia sequeretur, quòd DEUS esset author specialis alicujus actus moraliter mali; eò quòd nullus actus supernaturalis, adeòque nec ille prohibitus sine speciali auxilio DEI possit elici.

7. Objicies secundò. Qui dat eleemosynam ex fine vanæ gloriæ, elicit actum virtutis misericordiæ: sed actus virtutis misericordiæ est moraliter bonus: ergo non obstante malitiâ derivatâ ex fine malo, actus tamen ex objecto est moraliter bonus. Maj. probatur: quia ille est actus virtutis misericordiæ, per quam augetur habitus misericordiæ, siquidem habitus augetur per proprios actus frequentatos: sed per frequentes largitiones eleemosynæ augetur habitus misericordiæ: siquidem constat experientiâ, quòd ex ejusmodi actibus frequentatis aliquis reddatur facilior ad dandam eleemosynam.

Respond. negando maj. & min. probationis; ejuſque probationem distinguo: homo ex istis actibus frequentatis redditur facilior negativè, in quantum videlicet remouentur impedimenta ex parte subjecti remorantia largitionem eleemosynæ, concedo; positivè, quasi intrinsecam confortationem & augmentum habitui tribuendo, nego.

8. Objicies tertio. Potest aliquis actus tendens in motum virtutis supernaturalis esse imperatus ex fine venialiter malo, e.g. si quis intendat suscipere Sacramentum aliquod ex fine placendi Superiori, Confessario, &c. sed in hoc casu actus est ex objecto honestus, utpote procedens ex motivo virtutis supernaturalis.

Respond. negando maj. & dico: In tali casu actum internum non esse ex motivo supernaturali, nec proinde supernaturaliter aut moraliter bonum; & ideo licet in eo, qui baptizatur aut confitetur ex fine venialiter malo, voluntas interna sufficiat ad valorem Sacramenti & consequendum ipsius effectum ex opere operato, aliunde nullum ponenti obicem: (is quippe non impeditur per veniale peccatum) tamen non potest ipsi conferre ullam bonitatem & dignitatem moralem ex opere operantis.

9. Objicies quartò. Actus, quo impletur præceptum, est bonus: sed potest quis ex fine vanæ gloriæ implere præceptum: ergo non obstante finis malitiâ, ille actus erit moraliter bonus. Maj. probatur primò: quia qui audit Sacrum præceptum ex fine vanæ gloriæ, melius facit, quam qui non audit: ergo illa imperio præcepti habet aliquam bonitatem. Deinde si ille actus non esset bonus ex objecto, haberet duplicem malitiam, nempe unam ex fine, alteram ex objecto: sed hoc est contra doctrinam D. Th. ergo.

Respond. distinguendo maj. Actus præceptus est bonus, vel formaliter, vel materialiter, concedo; tantum formaliter, nego. Quando enim

præcepta sunt de actibus externis, ut est audit Sacrum, ad eorum impletionem sufficit, actum esse materialiter bonum, sive ut verè ponat substantia externa & physica actus pertinent materiam virtutis præcepta. Quando autem de actibus internis, ut est credere, sperare, diligere, tunc præceptis non satisfit, nisi per actus ipsorum virtutum, qui sunt formaliter honesti. Ad primam probat. nego antecedens: non enim melius, sed minus malè facit, melius quippe proponit bonum, quod hic nullum est. Ad alteram probat. nego sequel quia hic non est alia malitiâ objecti, quam quæ ex fine, vel aliâ circumstantiâ in objectum refunditur.

§. III. Corollaria.

Inferes ex dictis primò: Intentionem finis esse bonam vitari per malam electionem, & bonam electionem ex mala intentione, quando intentio cum electione per se connectitur. Ratio utriusque partis est: Actus difformis dictamini prudentiæ est malus: sed tam intentio determinans ad electionem mali mediæ, quam electio boni mediæ ad causandum malum finem est difformis dictamini prudentiæ: ergo uterque actus est malus.

Ratio ulterior primæ partis est: Ratio eligendi medium malum & prohibitum est mala, est enim formaliter causa per se influens in peccatum: sed quando intentio finis determinat voluntatem ad electionem mali mediæ, tunc finis est formaliter ratio eligendi malum medium; de ideo juxta supra dicta bonus finis initiatur ex malo objecto: ergo tunc finis est malus. Sed intentio specificatur à fine: ergo etiam intentio est mala.

Ratio quoque secundæ partis est: qui electio sumit speciem ab objecto & medio in quod tendit: sed medium ordinatum in finem pravum est malum, utpote in executione per se causa peccati: ergo etiam electio est mala. Atqui quoties intentio est mala, toties electio per se conjuncta est de medio ordinato in finem malum: ergo toties electio est mala.

Dixi, quando intentio cum mala electione per se connectitur: si enim mala electio per accidens, & solum ex eligenti malitiâ, bonam intentionem subsequatur, intentio, cum neque sit formaliter neque virtualis causa illius malitiæ, etiam à subsequenti mala electione non vitabitur.

Inferes secundò. Ab intentione boni finis diminui malitiam pravæ electionis: primò, quia mala electio ex intentione boni finis est minus voluntaria in ratione malitiæ, quam si esset ex fine malo. Secundò: quia actus ex solo objecto malus, est minus dissentaneus rectæ rationi, quam actus tam ex fine quam objecto malus.

Inferes tertio. Si voluntas ex ardenti intentione finis ita afficiatur, ut etiam mala media amplecteretur, si illa occurrerent, hoc ipso intentionem esse vitiosam: quia jam fertur in finem ut consequibilem per mala media, & contra dictamen prudentiæ.

ARTICULUS VI.

An, ut actus sit bonus moraliter, debeat honestas objecti
directe & formaliter amari.

SUMMARI A.

1. Status questionis exponitur.
2. Defenditur sententia exigens directum amorem honestatis.
3. Probatur ab absurdis contraria sententia.
4. Inductione aliorum actuum intentionalium.
5. Eliditur paritas petita ab inhonestate objectiva.
6. Et a pura omissione.
7. Solvitur argumentum de martyrio.

§. I.

Adstruitur affirmativa.

NOTandum primò. Aliquod objectum à voluntate amari posse vel directè, vel indirectè. Directè voluntas tendit in objectum, quando bonitas objecti per practicam cognitionem representata est ratio movens & alliciens, ut voluntas proprio actu in ipsam inclinaret & tendat: & siquidem voluntas sicut in illa bonitate, tunc erit bonitas finis, si illam ulterius ordinet, erit formaliter bonitas mediæ. Indirectè voluntas tendit in aliquod objectum, quando ipsum quidem non habet in se rationem & bonitatem, quam per suum actum directè inquirat voluntas, conjungitur tamen cum objecto per se voluto, & sic conjunctum representatur per practicam cognitionem. Unde

Notandum secundò. Malitiam objectivam sive inhonestatem objecti & repugnantiam cum recta ratione nunquam esse directè, sed semper indirectè solum intentam & volitam: siquidem malum quò tale nullo modo est objectum motuum voluntatis, & prosecutionis, sed ex sua natura tantum est idoneum terminare actum fugæ: Unde actus malus voluntatis accipit malitiam ex inhonestate objecti indirectè volitâ, quatenus voluntas directè fertur in aliquod objectum delectabile, cui inhonestas conjuncta per practicam cognitionem voluntati proponitur.

Status igitur questionis est: utrum simili modo possit honestas quatenus tantum cognita & conjuncta cum aliquo objecto directè intento honestatem formalem refundere in actum voluntatis, sicut certum est, quòd inhonestas taliter indirectè volita refundat malitiam formalem & moralem in actum voluntatis? e. g. si quis moveatur ad ambulandum propter delectationem actus, representetur tamen practicè honestas conjuncta ambulationi, in quantum deservit ad visitationem templi, utrum voluntas ambulandi propter honestatem ita cognitam, nec tamen directè volitam contrahat moralem honestatem.

CONCLUSIO: *Honestas objectiva non refundit honestatem formalem in actum, nisi ametur formaliter & directè.* Ita communiter Thomistæ contra Salas & Quædam.

Probatur primò. In tantum honestas objectiva specificat actum, eique tribuit speciem hone-

statis & bonitatis moralis, in quantum per se ipsam movet voluntatem ad sui amorem: sed ut sic directè & formaliter amatur: ergo in tantum honestas objectiva refundit honestatem formalem in actum, in quantum directè queritur & amatur. Maj. de qua est questio, probatur. Omnis bonitas objectivè movens & specifica actum voluntatis, directè movet voluntatem ad sui amorem: sed honestas est quædam bonitas, siquidem bonum in communi dividitur in honestum, delectabile, & utile: ergo. Maj. probatur: In tantum bonitas movet appetitum, in quantum ratione appetibilitatis sibi intrinsicè appetitur & amatur: sed hoc est movere directè ad sui amorem.

Confirmatur primò inductione. Nam voluntas ad actum dilectionis directè & formaliter movetur ab objecto delectabili, ad actum electionis ab objecto utili & eligibili: ergo similiter directè movetur ad actum honestum ab honestate objecti.

Confirmatur secundò. Malum quò tale, quia est ex sua natura objectum fugæ, propterea formaliter & directè terminat actum fugæ: ergo à sensu contrario, quia bonum quò tale essentialiter est objectum prosecutionis, formaliter & directè movet & terminat actum prosecutionis.

Confirmatur tertio. Ideo inhonestas objectiva indirectè volita & amata inhonestatem formalem refundit in actum, quia ipsa non est apta directè movere ad sui prosecutionem, & voluntas tenetur illam fugere non tantum ut est in se ipsa, sed etiam ut est & cognoscitur conjuncta cum alio objecto: ergo ex opposito, quia honestas objectiva est per essentiam idonea ut seipsa directè moveat voluntatem, eisque objectum proportionatum ipsius, etiam per se ipsam directè movet voluntatem.

Probatur secundò ab absurdis: Si ad formalem honestatem actus sufficeret sola cognitio practica honestatis objectivæ, sufficeret ad actum charitatis, ut directè amaretur aliquod objectum indifferens, v. g. comestio cum cognitione bonitatis divinæ; item, haberet supernaturalem & sufficientem dolorem ad Sacramentum penitentia, qui doleret propter hesternam crapulam, quia causavit dolorem capitis, dummodò simul cognosceret detestabilitatem crapulae propter oppositionem ad virtutem sobrietatis: sed hæc sunt absurda, & contra communem Theologorum: ergo.

Probatur tertio ab inductione aliorum actuum intentionalium. Nam omnes alii actus potentialiarum internarum directè moventur à suo objecto formali & specificativo, ut visio, auditio, cognitio &c. ergo etiam actus honestus movetur & specificatur directè à suo objecto specificativo, quod est honestas objectiva.

§ II.

Solvuntur Objectiones.

5. **O**bjicies primò paritatem ab inhonestate objectivâ: quæ etiam si sit tantum indirectè voluta, tamen refunditur in actum formalem inhonestatem. Sed hæc paritas manet soluta cum re-torsione ex tertia confirmatione.

6. **O**bjicies secundò, Omisio pura est honesta, licet nulla bonitas objectiva directè & formaliter ad ipsam moveat: ergo etiam actus erit honestus, licet nulla bonitas objectiva directè & formaliter moveat.

Respond. etiam ex suppositione puræ omissionis voluntariæ, negando antecedens. De quo supra dictum ex instituto. Omisio quippe mali est se ex indifferens ad finem bonum & malum, & sic nullam induit honestatem.

7. **O**bjicies tertio. Si quis eligat martyrium propter DEUM, haud dubiè honestas martyrii in actum refunditur: aliàs enim sequeretur, quòd actus martyrii propter DEUM non haberet majorem honestatem, quam deambulatio propter DEUM: sed in isto casu honestas martyrii non amatur directè, quia martyrium formaliter eligi-

tur ut utile ad DEUM ulteriorem finem: sed bonum honestum & utile formaliter distinguuntur: ergo in isto casu martyrium non eligitur formaliter ut honestum.

Resp. 1. negando min. & probationem distinguo: bonum honestum & utile formaliter ratione & secundum præcisionem metaphysicam distinguuntur, concedo; formaliter realiter, nego. Sic enim impossibile est, aliquid bonum esse ad intrinsecò utile sive referibile ad DEUM ut finem charitatis, quin eo ipso sit honestum; cum honestas hanc referibilitatem in omnibus, quæ propter DEUM diliguntur, formaliter imponeret.

Respond. secundò distinguendo maj. Martyrium formaliter eligitur ut utile ad DEUM, utilitate formaliter conjuncta cum honestate, concedo; separata, nego. Sed bonum honestum & utile, si sint separata, formaliter distinguuntur, concedo; si conjuncta, nego min. & consequentiam. Ideo objectiva virtutum moralium potius sunt fines intermedii, quam mediæ fines, quia ratione finis intermedii honestas per se formaliter attinguntur; intermedii vero, quia hæc ipsa honestas est intrinsecè referibilis in DEUM.

ARTICULUS VII.

An actus exterior superaddat novam bonitatem vel malitiam supra actum internum?

SUMMARI A.

1. Statu questionis.
2. Resolutio negativa.
3. Fundamentum è S. Script.
4. Ex SS. P.P.
5. Et duplici ratione.
6. Actus externi valent ad augendum premium accidentale.
7. Auctoritates objectivæ exponuntur.
8. Rationes objectivæ. 9. Diluuntur.

§ I.

Resolutio Thomistica.

1. **N**on tantum internos, sed etiam externos actus à voluntate imperatos moraliter bonos vel malos esse, constat è S. Script. & Decalogo, ubi aliqui actus externi laudantur, aliqui vituperantur; alii præcipiuntur, alii prohibentur. Dubium tamen est, an illa bonitas sit tantum participata, & actibus externis conveniens per extrinsecam denominationem à bonitate, vel malitia actus interni à quo imperantur; vel utrum sit ipsis propria, intrinsecè denominans, & distincta à bonitate, vel malitia actus interni.

2. **C**onclusio. Actus exterior, cum ab interiori per extrinsecam solum denominationem participet formalem rationem bonitatis aut malitiæ moralis, nullam ipsi superaddit novam bonitatem vel malitiam simpliciter & in ordine ad penam, vel premium essentialia. Ita contra Alenfem, Lychetum, Mastrium, Amicum hîc disp. 16. n. 28. Thomistæ communiter cum Angelico Desique 9. 29. a. 4.

Probatum primò auctoritate S. Script. ubi effica voluntas interna, ab externo actu & executione impedita, pro ipso opere externo, sicut meritum sive ad demeritum, reputatur & acceptatur. Ita Genes. 22. voluntas sacrificandi filium in Abrahamo acceptatur pro actuali immolatione: quia fecisti hanc rem, & non peperisti &c. Luc. 21. duo æra minuta pauperis viduæ præferuntur oblationibus divitum. Matth. 5. consensus internus voluntatis in opus externum condemnatur ejusdem malitiæ, sicut ipsum opus. Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam machatus est eam in corde suo.

Probatum secundò auctoritate SS. PP. Nam S. Augustinus l. de duabus anim. c. 10. loquitur: Non nisi voluntate peccatur. Chrysol. de Abrahamo hom. 47. Quantum ad voluntatem cruciaverat dexteram Patriarcha, perfectumque absterat Sacrificium &c. Cyr. tract. de oper. & elemos. de vidua Evangelica ita loquitur: Viduam cum videret Dominus, non de patrimonio, sed de animo opus ejus examinans & considerans, non quantum sed ex quanto dedisset, dixit: Viduam istam plus omnibus misit in dona DEI. Eleganter Solvianus in prol. lib. de provid. Mens boni spiritus ac pii voti, etiam si effectum non inveniat capis operis, habet tamen premium voluntatis. D. Antonius l. de Concept. Virg. c. 4. Actiones, quæ faciunt injusta voluntas, vocemur peccata, quia in voluntate, quæ sunt, est peccatum.

Probatum tertio duplici ratione. Primò: actibus externis non magis potest convenire bonitas vel malitia moralis, quam ipsis conveniat liber-

pas, quippe in qua omnis moralitas radicatur: atqui libertas actibus externis non convenit intrinsecè, sed solum per denominationem extrinsecam à libero actu interno voluntatis: ergo parimodo ipsis convenit bonitas, vel malitia. Minor constat: quia membra externa & executiva virtus despoticè voluntatis imperio parent absq; ulla sibi proprià indifferentià.

Secundò: si bonitas moralis & acceptabilitas ad premium essentiale actui externo ratione sui & intrinsecè conveniret, tunc posset aliquis in vitus spoliari præmio essentiali; quotiescunque nimirum violenter impediretur ab aliquo opere bono externo: sed hoc est absurdum: neque enim dona gratiæ alicui arbitrii potestati sunt subiecta: ergo.

Dixi tamen: nullam bonitatem, simpliciter & in ordine ad premium essentiale, ab actibus externis superaddi: addunt quippe bonitatem, vel malitiam secundum quid, & in ordine ad præmium, vel pœnam accidentalem; veluti patet in aureola Martyrii, quæ non tribuitur propter solam voluntatem Martyrium sustinendi, sed propter ipsum Martyrii laborem & difficultatem specialem.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Obijces primò authoritatem D. Augustini & D.Th. Nam ille l. 13. de Trinit. c. 5. ait: Mala voluntate vel solà quisque miser efficitur, sed inferiori potestate, quàm desiderium mala voluntatis impletur. Et l. 22. contra Faustum c. 27. definit peccatum, dictum, vel factum, vel concupitum contra legem eternam. Angelicus Doctor quoque q. 72. a. 7. dividit peccatum, in peccatum tantum, oris, & operis: ergo non tantum actus internus, sed etiam externi nempe facta & opera, ut distincta à peccatis internis, rationem peccati adeòque peculiarem distinctamque malitiam obtinent.

Respond. ad 1. *Authorit.* Sensum non esse, quòd quis fiat miser alicujus malitiæ novæ accessione, sed partim quia actus internus externo conjunctus solet esse intensior aut diuturnior, partim quia actus exterior malorum effectuum miserias & vestigia post se relinquit, quæ non re-

linquit actus interior, uti sunt scandala, censura, major proclivitas ad malum, obligatio restitutionis, reatus majoris pœnæ accidentalis, &c.

Ad 2. & 3. *Authorit.* Respond. utraq; divisione hoc tantum indicari, quòd aliqua sint peccata, quæ solo actu interno continentur, & vocantur peccata cordis: aliqua verò, quæ etiam externè in verba vel opus prorumpunt, & vocantur dicta, vel facta, peccata oris & operis: quæ ipsa tamen non nisi ab actus interni malitià extrinsecus denominante formaliter mala sunt.

Obijcies ex ratione primò. Actus externi & interni vetantur distinctis præceptis, ut ex Decalogo patet: ergo habent distinctas malitias.

Secundò. Nisi actus externi haberent distinctam malitiam ab actus interni malitià, non essent necessariò in confessione explicandi: sed hoc est absurdum: ergo. Sequela probatur: Circumstantiæ solum aggravantes juxta communem & probabilem sententiam non sunt necessariò confitendæ: sed actus externus, nullam superaddens novam malitiam, haberet rationem meræ circumstantiæ aggravantis: ergo.

Tertiò. Malitia præsupposita actui interno est distincta à malitià actus interni: sed malitia actus externi est præsupposita actui interno: ergo. Minor prob. Malitia actus externi dat speciem actui interno, tanquam objectum ipsius; ideo quippe voluntas furandi est mala, & non è converso: ergo actui externo convenit specialis & distincta malitia.

Respond. ad 1. negando conseq. quia actus internus, v. g. concupiscentia uxoris alienæ, non ideo distincto præcepto prohibetur, quàm prohibetur ipsum opus externum adulterii quia habet peculiarem distinctamque malitiam, sed quia majori facilitate ruunt homines in ejusmodi peccata etiam interna.

Ad 2. nego sequelam, & quòd actus externus sit mera circumstantia: licet enim per solam denominationem extrinsecam à voluntate interna malitiam trahat, pertinet tamen ad ipsam substantiam actus, estque individuale complementum, in quo actus internus completur, & ultimarò terminatur. Ad 3. distinguo min. ejusque probationem: malitia objectiva actus externi est præsupposita actui interno, eique dat speciem, concedo; malitia formalis, nego.

ARTICULUS VIII.

Quomodo ad bonitatem actus humani requiratur conformitas cum voluntate Divina?

SUMMARIUM.

1. Triplex modus habendi conformitatem cum voluntate Divina.
2. Non est obligatio conformitatis quamdiu voluntas DEI est ignota.
3. Neque cum voluntate consilii tantum.
4. Voluntas ut est natura, licetè dissentit à voluntate Divina in volitò materiali.
5. Voluntas humana tenetur conformari in volitò formali.
6. Non in volitò materiali.
7. Imò tenetur aliquando velle oppositum.
8. Dissensio in Beatis.
9. Tenetur tamen voluntas esse conformis divina voluntati in volitò materiali prout substans formali.
10. Qualem concordiam voluntatum requirat lex amicicia?

§. I.

Certiora præmittuntur.

PRÆcipua bonitatis & rectitudinis moralis regula est voluntas divina, quippe per essentialitiam recta & sancta. Unde voluntas creata non potest

potest in suis actibus esse recta, nisi aliquo modo sit divinæ voluntati conformis. *Rectum cor habet* [inquit Augusti. in Pl. 32.] *qui vult quod DEUS vult.* Potest autem hæc conformitas haberi tripliciter. Primò, ut velimus, quod DEUS vult nos velle, idque vel consulendo, vel præcipiendo. Secundò ut velimus hoc ipsum quod DEUS vult, quæ conformitas dicitur esse in *volito materiali.* Tertio, ut velimus modum & rationem, sub qua DEUS aliquid vult fieri; & hoc est conformari divinæ voluntati in *volito formali.* Quibus positis

2. *Certum est primò:* quamdiu divina voluntas DEI non est nota, non esse obligationem, ut voluntas humana conformetur divinæ, quia nulla regula obligat, priusquam sit debite promulgata, sed ante noticiam divina voluntas homini non est debite promulgata: ergo.
3. *Certum est secundò:* non esse obligationem, ut homo velit, quod DEUS vult ipsum velle solam voluntate consilii, bene autem, quod vult ipsum velle voluntate præcepti; quia videlicet *teneatur homo in omnibus divinis præceptis obedire.* S. D. 2. 2. q. 104. a. 4. ad 3.
4. *Certum est tertio:* Possè non tantum appetitum sensitivum, sed etiam rationalem, h. e. voluntatem dissentire à voluntate divina in *volito materiali,* prout voluntas est natura sive inclinatio totius naturæ. Unde & Christus Dominus secundum voluntatem hoc modo consideratam refugiebat mortem, dicens: *Pater, si possibile est, transseat à me calix iste.*

Procedit ergo quaestio, an humana voluntas, circa alia motiva liberè operans, teneatur conformari voluntati divinæ in *volito materiali,* vel *formali.*

§. II.

Resolutio S. Doctoris.

5. **CONCLUSIO** S. Doct. hic q. 19. a. 10. est: *Voluntas humana teneatur conformari voluntati divinæ in volito formaliter, teneatur enim velle bonum divinum & commune, sed non materialiter.*
Ratio 1. partis est primò. Conformari voluntati divinæ in *volito formali,* est intendere sive formaliter sive virtualiter eundem scopum & finem, quem divina voluntas intendit, nempe suæ divinæ bonitatis, aliarumque increatarum perfectionum ostensionem: sed voluntas humana in suis operationibus ab hoc fine licitè discrepare non potest: ergo teneatur se divinæ voluntati in *volito formali* conformare.
Secundò. Omnis conversio in finem honestum, est quædam implicita saltem conformatio cum divina voluntate in *volito formali;* siquidem honestas creata est participatio honestatis & bonitatis increatæ: Atqui homo in omni sua operatione teneatur converti in finem honestum: ergo teneatur etiam se conformare divinæ voluntati in *volito formali.*
6. *Secunda pars probatur primò* authoritate D. Augustini in *Enchirid.* c. 101. dicentis: *Aliquando bonâ voluntate homo vult aliquid, quod*

DEUS non vult; tanquam si bonus filius patrem velit vivere, quem DEUS bonâ voluntate vult mori.

Probatur secundò ratione. Potest DEUS aliquid velle, quod per rationes æternas & universales DEO tanquam causâ universali perceptas apparet bonum, secundum particulares vero rationes, secundum quas creatæ voluntati representatur, apparet malum: sed hoc casu creatæ voluntas non teneatur conformari voluntati divinæ in hoc objecto & *volito materiali,* imò teneatur velle contrarium: ergo. E. g. Vult DEUS parentem mori vel damnari ex fine universali licite cognito; non ideo filius licitè potest appetere mortem, vel damnationem proximam: licet de iudice intuitu boni communis licitè vult occidere latronem, cuius tamen occisionem uxor aut filius, qui bonum privatum familiæ intuentur, licitè non potest appetere. Sic licitè petimus, & oramus, ut DEUS à nobis pestem, famem, bellum, morbum, frigus, aliæque mala avertat, imò vult, ut ista velimus, & media his operatione adhibeamus, & tamen hæc mala obdivinæ voluntatis altiorem finem intuitu tammissionem contingunt.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Dices primò. Beati in celo conformantur divinæ voluntati non tantum in *volito formali,* sed etiam in *materiali;* ergo hoc idem facere debent viatores in terra: siquidem instrumur DEUM orare, *ut fiat voluntas ejus sicut in celo, & in terra.* Respond. negando consequentiam, & paritatem, quia Beati in patria cognoscunt divinæ voluntatis *volitum materiale* secundum rationes æternas & superiores, viatores vero solummodò secundum rationes particulares & inferiores.

Dices secundò. Non datur *volitum formale* divinæ voluntatis in abstracto, sed in concreto: ergo si creata voluntas teneatur esse conformis divinæ voluntati in *volito formali,* teneatur etiam esse conformis in *volito materiali,* quod unâ cum *formali* constituit integrum concretum *volitum.*

Respond. distinguendo consequentiam: teneatur esse conformis divinæ voluntati in *volito materiali,* quatenus illud subsistat *formali,* concedo; absolutè, nego. Quo eodem sensu petimus in oratione Dominica fieri voluntatem DEI sicut in celo & in terra.

Dices tertio. Lex amicitie requirit concordiam voluntatum: ergo creata voluntas ne quidem in *volito materiali* debet discordare à voluntate divina.

Respond. ex S. D. q. 24. de verit. a. 2. ad 1. quod concordia voluntatum, quam præscribit amicitia, magis consistat in convenientia & conformitate quoad finem *volitum,* & rationem volendi, quam quoad ipsa *volita,* adeoque magis in conformitate ratione *voliti formalis,* quam *materialis.*